



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

- I. Quod pax a Paganis, & contumacibus Christianis per emendationem  
morum a Deo imploranda sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO CHRISTI  
888. rabilis abbas, & multisacerdotes, cum comitibus, & pluri-  
bus nobilibus, & Deum timentibus viris adfuerunt. Vbi  
pari voto, parique consensu, pro vera caritate & tranquili-  
tate sanctæ Dei ecclesiæ, quam redemit Christus sanguine  
suo, sibi inuicem occurrentes, hæc in commune præ-  
sules locuti sunt.

## C A N O N E S.

### I.

Episcopi, & presbyteri, & fideles laici, qui ante nos fuerunt iuxta sacram Canonum auctoritatem, saepius in Christi nomine conuenientes, iustitiam Dei statuerunt, & idcirco pacem suis diebus habuerunt, iuxta illud quod scriptum est: *Pax* Psal. 118.  
*multa diligentibus legem tuam, Domine, & homini- bus bonæ voluntatis.* Nos autem, qui tanto tempore transacto comprouinciale Synodus non habuimus, & inuicem querere misericordiam Dei negleximus, videmus in nobis completum esse, quod per prophetam Dominus dicit: *Terram vestram in confectu vestro alieni deuorant, & erit in vastitate hostili.* Ergo qualiter a Northmannis hæc omnia in nobis completa sint nemo dubitat. quomodo etiam a peruersis Christianis vndique attiramur, omnes in commune sentimus, sicut scriptum est: *Populum tuum, Domine, humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt.* Quærenda est igitur pietas Christi, qua Pagani arceantur, & statuenda est lex Dei, qua crudelissimi nostræ gentis homines a vastatione pauperum repellantur. Idcirco quidquid in nobis prauæ voluntatis est abiiciamus, & de Paganis Christo auxiliante pacem ob-

592 STEPHANVS CONCILIVM ARNVLPHVS REX GERMANIE.  
P. V. ODO REX FRANCORVM.

tinere valebimus. Auctoritatem sanctorum patrum  
contumacibus nostris imponamus, & velint no-  
lint, pro timore etiam gloriosissimi nostri senioris  
Arnulphi regis, ad satisfactionem venire faciemus.  
Et sic iustitiam Dei statuendo, poterimus eius mi-  
sericordiam inuenire, quem nos cognoscimus prau-  
uis aetibus grauiter offendisse.

ANNO  
CHRISTI  
858.

II.

*Malach. 3.*

Dominus loquitur per prophetam dicens: *Af- ferte omnem decimam in horreis meis, & probate me in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas caeli, & dedero vobis fructus usque ad abundantiam.* Scimus enim, quoniam peccatis exigentibus claudi- tur caelum, & fit nostris diebus saepissime fames. Ideo statuimus, ut deinceps nemo seniorum de ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portio- nem, sed solummodo sacerdos qui eo loco ser- uit, vbi antiquitus decimae fuerant consecratæ, ipse eas cum integritate accipiat in sui sustenta- tionem, & ad luminaria concinnanda, & basili- cae ædificia, vestimenta quoque sacerdotalia, & cetera utensilia suo ministerio congrua obtainen- da. Hæc omnia episcopi de suis ecclesiis, & ceteri attendere decreuerunt.

III.

Vnusquisque presbyter vnam solummodo ha-  
beat ecclesiam: nisi forte antiquitus habuerit ca-  
pellam, vel membrum aliquod adiacens sibi, quod  
non expedit separari. Est enim multum laudabile  
coram Deo & hominibus, si vnu presbyter vnam  
ecclesiam salubriter prouiderit, & utiliter rexerit.  
quoniam